HIERONYMUS

Admont, Ende 12. Jh. Seite 40r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25977
Copyright: Admont, Benediktinerstift

iuxta historiam. In longa enim obsidione quomodo oves et pecora auferri potuerant de Hierusalem? que etiam si fuissent, fames consumpserat. Et non inquit subsistent sive non sunt. neque enim translati sunt in Chaldeam, sed magna pars eorum interfecta vel est penitusque deleta est. Non est qui extendat ultra tentorium meum. Non est qui me restauret et murorum meorum iaciat fundamenta, que ad solum usque prostrata sunt. Quia stulte egerunt pastores et dominum non quesierunt, propterea non intellexerunt. Omnis grex eorum dispersus est. Post translationem pastorum atque ovium insipientium, culpa et dispersio populi describitur. Quia enim principes stulte egerunt nec quesierunt dominum quem toto corde debuerant perquirere, idcirco mala venientia non viderunt sive non intellexerunt dominum, et omnis multitudo Hierusalem huc illucque dispersa est. Vox auditionis ecce venit et commotio magna de terra aquilonis, ut ponat civitates Iuda in solitudinem et habitaculum draconum sive cubile strucionum. et ut Simachus interpretatus est sirenarum, pro quo in hebraico thannimi positum est. Verba prophete: ecce inquit sonitus et fremitus Babiloniorum venientis auditur magnaque commotio sive tremotus de terra aquilonis, et omnes urbes Iudee habitatoribus interfectis redigat in solitudinem, et faciat pro hominibus dracones habitare et cuncta venenata animantia, sive struciones, quod et ipsum animal solitudini familiare est, et in desertis nascitur aut nutritur. aut certe sirenas quas monstra quedam et demonum fantasmata possumus intelligere. Hec omnia que et preteritus et presens sermo describit ad persecutionis ecclesie referamus tempora, quando tabernacula domini subvertuntur et omnis habitatio ecclesie redigetur in solitudinem. Et ut ista omnia eveniant culpa pastorum est, quia stulte egerunt et dominum non quesierunt nec intellexerunt eum, et idcirco grex omnis dispersus est. Scio domine quia non sit hominis via eius, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos. Erubescant novi predicatores qui aiunt unumquemque suo arbitrio regi. cum et hic propheta dicat non est hominis via eius, et David in lyrico canat carmine: a domino gressus hominis dirigentur, et viam eius volet nimis. Sive hic sensus est: quod a Babiloniis sustinuimus non est eorum fortitudinis sed nostri meriti et indignationis tue. Corripe me domine, verumtamen in iudicio, et non in furore tuo, ne forte ad nichilum redigas me. Effunde indignationem tuam super gentes que non noverunt te, et super provincias